



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvare Filivs Nominatvr λόγ[...]?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoscens format imagines, & loquitur: sic filius est æterni Patris imago, cogitatione genita, & est λόγος ostendens eum in reuelatione Euangelij. Proinde autem est à voluntate, quia Spiritus sanctus est motor seu agens.

QVARE FILIVS NOMINATVR ΛΟΓΟΣ.

NON solum quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & conferens ministerium Euangelij, & est efficax in his qui credunt Euangelio, & voce Euangelij dicens consolationem in cordibus eorum, & viuificans eos, sicut inquit: Ego vitam æternam do eis, & ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Est enim sic viuificans per omnes personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui colligit Ecclesiam, immediate voce Euangelij mouet corda, & monstrat Patrem, & dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandoquidem dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per VERBUM. Considerandum est igitur, Filium dici λόγος, & respectu Patris, & respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefacit. Ideo in Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Dominus ipse respondet interrogantibus, quis sit, εγώ εἶμι ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωὴ ἡ ἀληθινή, id est, ego sum verbum, quod loquor vobis in initio, sum illa persona, initio loquens vobiscum, proferens Euangelium ex sinu æterni Patris. Item: Nemo nouit filium, nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius uolet reuelare.

DE VOCABVLO SPIRITVS.

VOCABVLVM Spiritus significat agitationem seu agilitatem. Nam & Spiritus sanctus est persona sic nobis patefacta, quod sit velut flamma, immediate tales motus accendens in corde, quales ipse est. Sicut Rom. 14. dicitur: Regnum Dei est iusticia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum. Et ad Timoth. dicitur: Spiritus roboris, dilectionis, & castificationis. Vt autem hæc uocabula aliquando melius intelligantur, intueamur imaginem Dei in homine, in qua sunt tria hæc præcipua: Mens seu substantia animæ: deinde cogitatio, quæ est imago rerum quæ cogitantur: & uerbum & cogitationes sequuntur in voluntate & corde motus seu agitationes, ut dicimus. Ignoti nulla cupido. Sed cogitationes & agitationes in hominibus sunt res euanescentes. At à Patre æterno est filius, qui est substantialis imago, nata cogitatione, & est ὁφισόμενος, id est, quiddam insistentens, non est quiddam fugax. Cum cogitatione est & agitatio & uoluntas, quæ etiam est ὁφισόμενος.